

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

*de*

**בָּצִיב מֶלֶךְ**

*Seu*

**STATUA SALIS,**

*Quam*

AUXILIANTE JEHOVA

*Et*

Suffragante Ampl: Phil: ad Auram Choro  
in Fennorum Inclito Musarum Palatio,

Sub PRÆSIDIO,

*adm. Reverendi & Celeberrimi Viri,*

**DN. M. ISAACI**

**PALESTINAE**

Oriental. Lingv. Profes: Regii

Famigeratissimi,

Loco horisque solitis,

*Publicæ Candidorum Disquisitioni Subjicie*

**JOHANNESCH. WALSTENIUS,**

Bor: Fennus.

*in Auditorio Maximo die 30 April: 1704.*

---

A BOÆ, Exc. Jo. WAL.

In DEUM & REGEM

Summæ Fidei VIRO

REVERENDISSIMO DOMINO ac PATRI  
in CHRISTO,

DN. JOHANNI  
GEZELIO,

S. S. Theologizæ DOCTORI

Consummatissimo,

Dioecesis Aboënsis EPISCOPO  
Eminentissimo,

Florentissimi ad Auram Lycei PRO-  
CANCELLARIO Magnificentissimo,

Consistorii Eccles. PRÆSIDI  
Gravissimo,

DOMINO

longè Benignissimo,

Submisso ac reverenter æternum  
suspiciendo,

ANNOS BENE MULTOS

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
Fido Viro  
GENEROSSISSIMO  
DOMINO,

DN. SVENONI  
LEGIONARII

Regii Dicasterii  
Magni Ducatus Fenningiæ

VICE. PRÆSIDI

Amplissimo

MÆCENATI & PROMOTORI

Maximo &

Propensissimo

Humilimo mentis affectu  
colendo

ET PROSPERA QUÆUIS !

**A**udax licet aggrediar facinus;  
non temerarium tamen, ut  
spero cum Nominibus VE-  
STRIS Splendidissimis, RE-  
VERENDISSIME PATER, ac GE-  
NEROSISSIME VICE-PRÆSES,  
levidense hoc opusculum, tenellosque  
tenelli ingenii fœtus illustrare opto,  
quos VOBIS humilimè offero conse-  
croque, id ut facerem, non tam per-  
suerunt illi, quorum interest, quam  
incitavit fama Virtutis VESTRÆ omniū  
pectora occupata tenens, ac Doctri-  
næ, cuius apicem cum omnium ad-  
miratione possidetis. Quin & sum-  
ma VESTRA cura & singularis favor-  
in Musis earumque Sectatoribus,  
variis fortunæ ictibus expositis,  
sublevandis, postulare videbantur à  
me, ut ad limen VESTRUM submisse  
prima hæc deponerem rudimenta co-

na-

natuum meorum. Spem foveo indu-  
biam, exiguum hoc & submissi ani-  
mi officium gratosos faventesque  
Vos PATRONOS habiturum. Ego  
vero summum Numen calidissimis  
suspiriis venerabor & votis, Tantis  
MÆCENATIBUS largiri dignetur, Lon-  
ga vitæ spatia, perennem felicita-  
tem, felicem tranquillitatem, tran-  
quillamque canitiem!

REVERENDISS: TUÆ PATERN:  
MAEONI MATIV &  
GENER: DN. VICE - PRÆSIDIS

MUNOTYLFI cliens humilimus

Joh: Walstenius.

PRÆCELENTISSIMO  
DOMINO

DN. GABRIELI  
JUSLENIO,  
Log. & Metaph. PROFESSORI  
Ord. Celeberrimo,  
Consistorii Academici ASSESSORI  
Æquissimo,

PATRONIS  
& Opti-  
VITAM LONGAM

Grandia vestra beneficia Celeb. DN. Profes-  
cumulata me obstrictum tenent, nisi ingra-  
um erga Vos & humilem & gratum publice  
nuitatem meam nibil proferre valere, quod me-  
ti animi banc vobis opellam volo dedicasse, ob-  
nec non me postbac ut hactenus solito fa-  
DEUS vos divina sua benedictione cœlitus  
reatis & perpetuum faveatis.

INCLYTORUM VE  
culti  
Joh. Wal

CONSULTISSIMO  
VIRO

DN. JOHANNI  
SAEHL S,  
Consuli Civitatis Aboënsis Ju-  
stitiario, & prudentiæ laude  
& æquitatis cultu cele-  
bratissimo,

MAGNIS

mis

& MITIA FATA!

ac Consultis: Curiæ Præses in me affatum  
titudinis stigmate notari velim, ut animum me-  
tandem declararem. Et quia non sum nescius te-  
ritis vestris respondeat, in indicium saltim gra-  
nixe rogans, velitis eam fronte intueri serenâ  
voris clypeo tueri ac tegere. Sanctissimus  
abundanter cumulet, ut vivatis, vigeatis, flo-

STR: NOMINUM  
devoto  
stenio.

Πρὸς Νεανίσκου σπυδαιότερον

Τὸν

Κύρ: ΙΟΑΝΝΗΝ ὄταλστηνιον,

Φίλον ἐν ὀλίγοις φίλων  
περὶ τύλος ἀλὸς οὐ φῶς μέλεζον.

c

Ο πλάταρχῷ περὶ τῆς γῆς ἔφησε, ἀυτὴν  
δὴ γεωργηθείσαν γεννάιας καρπὸς ἐκφέ-  
ρειν· τῷ περὶ σὺ ρῆθὲν ὅιεται σπυδαιό-  
τατη Όνταλσην, ἐπειδὴ γὰρ τὴν ουτῷ Φύσιν,  
ἡ ἄλλοθι ἀπὸ τάττα τῷ χαρωνέως Παγδαγω-  
γῷ τῇ γῇ ἐικάζεται, πολῶ τῷ πόνῳ κατή-  
σκησας, Βεβάιας πρότερον τῆς τῶν λόγων  
βάσεως Βεβλημένης, καρδὸν ἡγῆ ἐναι ηδη ὅτε  
ἀυτῶν παριστᾶς καρπὸς ὥρσαις, ὥσπερ δὲ πε-  
πόιησας τάυτη τῇ συζητήσει σπυδάτιως γραφέ-  
ση· ἐικότως δὲ ἐγκαλοίμην τῷ φίλῳ μὴ συνη-  
δόμενῷ· διὸ ἐπεὶ ἄλλως καταβάλλειν ἀδε-  
νῶ, ἄγω διέευχης, Βέληται ὁ Θεὸς, καθὼς μέχρε  
δεῦρο ὡδὸν ἀνθίσ περισασθάι σοι βοηθὸς ἐν πᾶσι  
τοῖς πόνοις σὺ, καὶ ὕστερόν σε τῇ πατρίδι ικανῶς δι-  
ηκονηκότε, εἰς τὰ ἐπερράνια δώματα μετοικίζειν,  
ἴνα τύλῷ ποιηθῆς, ὡκώς ἡ τῷ λάθ γυνὴ, ἀλλ' εὐ-  
τῷ καῶ τῷ θεῷ εἰς αἰῶνας ἐυλόγηθέντ.

ἔγραψε

ΙΟΑΝΝΗΣ ΓΕΖΗΛΙΟΣ.

ὁ Τιθέσ.



## CAPUT PRIMUM.

### §. I.

**G**loriosissimam Supremi Numinis esse Majestatem summaque potentiam gaudeniam, ideoque a finito intellectu nunquam perfecte intelligi, liquido constat; cum universam hanc mundi machinam, omnipotenti suo verbo, pariter cum omni genere animalium, cæterisque hujus universi instrumentis, uno exstruxerit momento ac exædificaverit, exædificatam potenter ad consummationem seculi, ab omni corruptione liberam conservet, ut & verbo oris sui regat, gubernet, protegatque cuncta animantia, & præcipue hominem animalium principem: qui

A in

in primordio mundi ad ejus similitudinem creatus; verum illusione serpentis deceptus peccavit, privatusque imaginis divinæ conformitate, filius tenebrarum factus, in æternum periisset, ni ex summa sua gratiâ atque misericordia ab inferni faucibus redemisset DEUS; qui ad huc suam nobis variis patefaciendo modis infinitam bonitatem, curam gerit generis humani, & a peccaminosa via, partim mediatè, partim immediatè, revocat, sacro testante codice: prœmia sc. mortalibus propoenens possessionem vitæ æternæ, pœnas autem barathrum æternæ damnationis; quibus adducti peccatis abstineant, monitisque divinis mortem gerendo, præceptis Domini constanter adhæreant, & non permaneant in malitia obduratis similes, quos særissime magnas ac horribiles dedisse pœnas est in proposito, earumque adhuc vestigia tam in pro-

fa-

fanis historiis, quam maximè in Sacro apparere codice. Inter quæ miraculū atq; peccati pœna haud minima relucet נציב מלֵח *Statua Salis*, in quam uxorem Lothi obriguisse patet ex Sacra Scripturâ, & quidem Gen. 19, cum, ob summam rerum terrenarum curam, mandatum divinum transgrediendo, Sodomam respexit & Gomorram vicinasq; regiones, igne ac sulphure cœlitus demisso conflagantes, & à Sanctissimo Numinine in fœdum conversas mare, in monumentum perpetuum divinæ in scelerata vindictæ.

### §. II.

**D**e *Statua Salis* jam jam disquisitius, consultum duxo brevissimis primum rationibus, cum aliquot tuerint adeo depravatæ mentis, ut hanc historiam (quod tamen ingens piaculum est) veram esse inficiarentur, demonstrare Sodomam cum vicinis pariter regionibus con-

flagrasse, statuamque salis existisse  
ac visam fuisse. (א) Ex Scripturâ Sa-  
crâ, & præsertim ex Gen.. 19, v. 24.  
וַיְהִי הַמָּטֹר עַל סֶדֶם וְעַל עֲמֹרָה גְּפֻרִית  
וְאַשְׁ מָאת וַיְהִי מִן הַשָּׁמִים: וַיַּחֲפֵךְ אֶת  
חָרוּם הַאֵל וְאֶת כָּל הַכָּכָר וְאֶת כָּל  
וִשְׁבֵית הָעָרִים וְצִמְחַת הַאֲרָמָה: וַתִּבְטַח אֲשֶׁר  
מַאֲחָרוֹיו וְתַחַזְיוֹ נִצְיבַּ מֶלֶח: Quæ ita e-  
runt reddenda: *Jehova pluere fecit su-*  
*per Sodomam & Gomorram sulphur & i-*  
*gnem à Jehova de cœlo, & subvertit ci-*  
*vitates & omnem circa regionem, uni-*  
*versos habitatores urbium, & cuncta ter-*  
*ræ virentia; Et respxerit uxor ejus post*  
*eum, & siebat statua salis.* Ex quibus  
abunde patet, & sine omni contra-  
dictione est verissimum, Sodomam  
olim pluviam Sulphuream consumptam,  
ac uxorem Lothi in columnam ad  
littus maris Sodomitici mutatam,  
ceu indicat etiam verbum *חוֹה* quod  
momentaneam connotare metamor-  
phosin, variis ex Scripturæ locis vi  
parallelorum probari potest, potis.

5

sum quidem Exod: 7. v. 19.  
sume baculum, וְנַתֵּחַ יָדָךְ עַל מִזְבֵּחַ מִצְרָיִם  
Exende manum super aquas Ægypti. וְעַל  
וְהִיא רַם עַל וְיָהּוּ רַם  
עַל fuit sanguis in omni<sup>i</sup> terra Ægypti. Plurima adhuc loca pa-  
rallella, quæ verbi זְיוֹת subitam mu-  
tationem probant, ex historiâ de  
creatione in medium proferre pos-  
sem, sed cum probe nota sint, nolo  
hinc immorari. (ב) Ex testimoniis  
quorundam Antiquissimorum Scri-  
ptorum, inter quæ præcipua sunt  
Josephi, Judæi Palæstini, judaica-  
rum antiquitatum sagacissimi inda-  
gatoris, Cujus hæc sunt verba; Uxor  
Lotbi, quum subinde ad urbem, contra  
mandatum divinum, ex sollicitudine ad-  
versus eam, retrospiceret, facta est status  
sали, uti notum est; nam ipse vidi, et per-  
durat eadem usque in hodiernum diem.  
Ut & Chrysoſt: uxor justi facta est  
columna salis, perpetuum monumentum po-  
sterioribus seculis suæ negligentia præbens:  
cui

cui adstipulatur Heidmannus celebris olim illustris Juliæ Doctor: uxor Lothi mutata in statuam salis orbi terrarum relicta est documentum, quam non spernenda sint vel in minimis DEI edicta.

(3) Ex ipsis quoque gentilium Scriptis, ipsos animadvertisse manum Domini vindicem illas tetigisse oras, quos inter præcipuus est Tacitus, non postremus alias historiæ judaicæ corruptor; is ita de hac re; *Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. Certo anni tempore bitumen egerit. Ater suapte natura liquor & sparso acetō concretus innatat. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos fulminum jactu arsisse, & manere vestigia terraque specie torridam vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu facta, sive herbatenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere,*

atra & inania velut in cinerem redacta  
evanescunt. Ego sicut Iudaicas quondam  
urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita  
halitu lacus infici terram, corrumpi super-  
fusum spiritum, eoque fœtus segetum & auto-  
mni putrescere reor, solo cœloq; juxta gra-  
vi: Ad cuius tenorem quoq; scribit  
Solin. Polyhistor, Longo ab Hierosolymis  
recessu tristis sinus panditur, quem de cœlo  
taetum testatur humus nigra & incinerem  
soluta. Duo ibi oppida Sodomum alterum  
nominatum, alterum Gomorrum. Hoc  
præterea verum esse, exinde etiam  
concludi potest, quod scil. in circum-  
jacentium regionum sylvis genero-  
sissimum, summâ cùm ubertate, na-  
scatur balsamum, ut exponit Justinus  
dicendo, opes genti ex nectigalibus Opo-  
balsami crevere, quod in his tantum re-  
gionibus gignitur; & adhuc luculen-  
tius Diodorus; In viciniæ adeo fœde  
sterilis & pestiferæ valle balsamum gene-  
rosissimum nascebatur, ex quo dives ad-  
modum incolis existet proventus, cum  
unsp.

nusquam alibi in orbe terrarum haec stirps inveniretur. In hac autem cuncta non modo exusta atque in cinerem redacta; verum etiam pessimum excitari fetorem, praesertim ex Lacu commemorato, qui vocatur alias *Mare Mortuum*, de horrendâ Sodomitarum morte, fulphureo suo odore, testimonium perhibens.

### §. III.

Cum mos sit receptus in Academiis, & is quidem bonus, pauca, prius quam ad uberiorem hujus rei translationem fiat accessus, ad originem vocum indagandam spectantia, in praesentia praemittam, quandoquidem & hoc virorum in palestra literaria Clarissimorum desiderent monita, inter quae praecipuum est Ciceronis, Lib. I. Offic. Omnis quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione proficiere, ut melius intelligatur quid sit, de quo disputetur: Ne itaque placita eorum sicco (ut

(ut ajunt) præterea pede, ab Ety-  
mologiâ vocum ordiri libet, in quâ  
tamen exponenda nec operotè oc-  
cupabor, cum non sit difficultis ori-  
ginatio harum vocum. Descendit  
autem vox illa prior נציב, quam præ  
se fert inscriptio, à Rad: נצָב / sedit, fixit,  
idiomate vero latino effertur voca-  
bulum hoc per statuam, quæ origi-  
nem debet suam verbo statuere, quod  
idem est ac rem in aliquo loco col-  
locare, Cic: de juvent. Theb. in finibus  
Tropæum æneum statuerunt. Accipi-  
tur præterea verbum istud statuere  
apud autores variis significationi-  
bus, quarum mentionem facere ē re-  
haud esse aurum. Vox autem po-  
sterior, sc: מלח, quæ latine dicitur Sal;  
deducitur à Rad: מלח, salivit, sale  
condit, sale aspersit. Alias quoque vo-  
cis נציב Synonymum est  
Gen. 28: 18. quod tamen plane idem  
non est, cum מצבה aliquando notet  
statuam arte manuq; humanâ factam,

& oriatur ex verbo יָצַב, quod in Niphah notat stetit, constitit, collocatus, constitutus est, & vero non item. Significat quoq; in tralatatio sensu vox i motu aliquid & durum, instar columnæ & statuæ, ut apud Caldæos נִצְבָּתָא est duries, Dan. 2. v. 41. similiter vox מֵלֶח̄ solum salsum & sterile, quale est circa lacum Asphaltiten Deut: 29, v. 23, & מֵלֶחֶת Psalm: CVII v. 34. versione LXX Interpretum per ἀλυρίδα aut ἀλυνη saluginem transfertur. Interdum etiam notat diuturnum tempus Num: 18. v. 19. בְּרוֹת מֵלֶח עֲלֵם pactum salis est sempiternū. Quæ tamen significations hic locum non habent, cum iis admissis aliis sensus & quidē erroneus oriatur.

## CAPUT SECUNDUM.

### §. I.

**H**aec tenus in generalioribus breviter pro modulo ingenii expoundendis occupatus eram: jam conduit ut ad specialiora, sive rem ipsam, sta-

statuam videlicet salis, faciam transi-  
tum, producamque primo rationes,  
ob quas uxor justi in statuam con-  
versa fuerit salinam; verum de his  
variæ variorum existunt senten-  
tiæ, quarum præcipuas in medi-  
um protulisse non pœnitentebit: scil;  
quod quidam non existiment; sed ine-  
ptiant, ipsam ideo punitam esse, quod  
pridie hospitibus suis sal non obtulit-  
set, ut ait Scriptor Pentateuchi Ibn Si-  
næ, apud Pheifferum, *Dicunt Interpretes*  
*quidam eam in salis statuam potius, quam*  
*aliud mutatam, quia eo potissimum contra*  
*maritum suum peccavit.* Alii ve-  
ro ob defectum sapientiæ, cuius sc.  
Symbolum est sal, convertam cre-  
dant, quæ opinio nec omnimodè est  
vera, potest tamen inter causas re-  
motas hujus conversionis referri.

### §. II.

**O**ptime rem acu tetigisse dicen-  
tes eam ideo quod respexerit,  
in statuam diriguisse salinam, patet  
ex Testimoniis gravissimorum Scri-

ptorum, & quam maximè ex Sacro codice, in quo brevissime fit mentio prohibitionis divinæ ab angelis Lotho ejusq; familiæ inculcatæ, & quidem Gen: 19. v. 17, **אַל תְּבִ�ת אֶחָרִיךְ וְאַל תַּעֲמֵד בְּכָל הַכָּכָר** *Ne respicias post te, aut stes in omni illa regione.* Ubi non credendum DEUM eâ materiâ, quæ haud videbatur magni momenti, Lothi tantum obœdientiam experiri maluisse, quemadmodum primorum parentum obœdientiam, unius arboris vetitæ fructu tentavit; nec, quod tamen propius ad sensum accedit, interdicto isto demonstrare voluisse, quam detestanda esset Sodomæorum-natio, & piorum hominum commiseratione indigna, cum qua aliquid unquam nolebat DEUS suis esse commercium, ut liquet ex Math: c. 10. v. 14. *καὶ ὁς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκύσῃ τὸς λόγυς ὑμῶν, ἔχερχόμενοι τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκείνης,* *ἐκπινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν.*

Et

Et quicunque non receperit vos neque  
audierit sermones vestros, exeuntes foras  
de domo, vel civitate illa, excutite pulve-  
rem de pedibus vestris &c. sed animum  
eius abducere à pristinis Sodo-  
mæ sordibus, in memoriam revo-  
cando salutis curam ipsi potio-  
rem fore cunctis rebus Sodomæ  
relictis; ideoque beneficium Summi  
Numinis, miraculosi ductoris, sum-  
ma cum veneratione ut & humili-  
ma gratiarum actione ipsum agno-  
scere debere, non autem, quasi eo  
redire volens, negligere, sed sibi ab-  
unde gratulari, quod ex tanto di-  
scrimine velut ex inferni faucibus e-  
reptus esset, imo ipso corporis mo-  
tu significare, se omnes affectus ita  
subegisse, ut deinceps haud amplius  
sollicitus esset de suppellectibus.  
Quod tamen monitum, respiciendo  
(quæ res in se quidem libera est & in-  
differens, verum illicita post prohibi-  
tionem divinam, indicatque ut vi-  
de-

dere licet Sacris ex literis, cum ipso corporis motu pœnitentiam animi, & desiderium ad pristina loca redendi, ceu patet, Ex Luc. 9. v. 62,  
 ἔδεις ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα ἀυτῷ επ' ἄροτρον, οὐκὶ βλέπων εἰς τὰ ὄπίσω, εὔθετὸς εἶναι εἰς τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ; Nemo mittens manum suam ad aratum & respiciens retro, aptus est regno DEI. Ad quæ verba alludens Sedulius apud Rivetum sic ait.

Dum respicit uxor,  
 In statuam mutata salis stupefactare-  
 mansit,

Ad pœnam conversa suam quia nemo  
 retrorsum,

Noxia contempti vitans contagia mundi,  
 Respiciens salvandus erit, nec debet a-  
 rator

Dignum opus exercens, vultum in sua  
 terga referre.

Nec non ex verbis Beati Aug: di-  
 centis: Nam quo pertinet quod prohibi-  
 ti sunt, qui liberabantur, retro respicere,  
 ni-

nisi quia non est animo redeundum ad ve-  
terem vitam, quâ per gratiam regene-  
rati exuimur, si ultimum judicium eva-  
dere cogitamus) uxor Lothi transgressa,  
haud leviter peccavit; nam eo ipso  
(α) mandatum tam serium flocci  
pendit unde quoque incredula dici-  
tur Sap. 10. (β) ingratitudinem suam  
declaravit, cum pro tanto beneficio,  
quo ex inferni faucibus erepta erat,  
in ejusmodi facili re detrectarit o-  
bœdientiam, (γ) ostendit mentem su-  
am haud aversam tuisse a rebus post  
se relictis, sed ista capit is reflexione  
testata est, cor suum hæsisse ubi the-  
saurus manserat Math. 6.

### §. III.

**C**um aliqua nobis videantur adhuc  
obstare adversariorum argumen-  
ta, quæ Ben: Lect: in devia trahere  
possent, nostramque sententiam falsi  
arguere, pro viribus tenuis inge-  
nii ea enodare conabor: objiciunt  
ob-

(N) scilicet verbum נִכְנָה respicere, non significare nudam circumspetionem, sed communi omnium hominum stylo idem esse ac moras nectere, non pergere, pedem referre, reverti, cum de negotio aliquo expediendo & itinere aut via sermo sit, iisque demonstrare volunt rationibus, moras nectere fuisse Lotho ejusque familiæ, non vero respicere & amore rerum in urbe reliistarum teneri, interdictum; uxore vero Lothi id neglexisse, oppidumque repetuisse, verbo isto נִכְנָה inuisse Mosen: deinde oculorum conversione nefandum aliquot non fuisse delictum, & tanto supplicio dignum, cum præsertim studium oculos circumferendi innatum tæmelis, iisque à DEO primâ creatione inditum; sed potius laudem mereri censebitur circumspetio, quæ sexum maximè deceat, cui rei familiaris cura commendata. Verum æqua judicii lance rem pensanti non videtur.

è re esse, ad phrases istas atque tropos sine urgente necessitate confugere, cum conservata ac genuina significatio aptissimè huc quadret, ac conveniat cum versu præcedente, in thesi 2. cap. I. recensito; unde nec sine ratione colligitur, fœminam, dum ingentia audivit tonitrua imbribus sulphureis mixta, quibus omnia quaqua verbum ardebant, territam, eo ipso ad sibi dilectam Sodomam tristibus respexisse suspiriis, non tamen rediisse, qvod etiam ipsi repugnat rationi; nam sanæ mentis non fuisset, si Sodomâ cum totâ vicinâ regione incendio flagante, tutu marito promissum asylum oppidum Zoar reliquisset, & horrendis istis se se exposuisset flammis, lanam, linum aliasq; subtractura res, quas tamen omnes igne consumptas, priusquam Sodomam rediisset, deperditasque fuisse quilibet facile præsigere potest; oculorum vero conversi-

onem quod attinet, in se quidem est licita, ast post prohibitio-  
nem divinam illicita, atque sic exsecrandum scelus tantaque pœnâ  
haud indignum. (2) Dominum sal-  
vatorem nostrum asserere uxorem  
Lothi oppidum repetiisse rationibus  
ex Luc: cap. 17 petitis v. 31. qui sic  
audit. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὡς ἔται ἐπὶ τῷ  
δῶματος, καὶ τὰ σκεύη ἀυτᾶς ἐν τῇ οἰκίᾳ,  
μὴ καταβάτω ἄρσει ἀυτά, καὶ ὁ ἐν τῷ  
ἄγρῳ, ὅμοιώς μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὄπιστα.  
Μνημονεύετε τῆς γυναικὸς λότ. i.e. in die illo  
qui fuerit in recto & vasa ejus in domo, ne  
descendat ad tollendum ea, & qui in agro,  
similiter non revertatur ad ea, quæ post se  
reliquit. Mementote uxoris Lothi. Ast  
accuratori mentis trutinâ rem pon-  
deranti, non liquet Dominum asse-  
rere fœminam reversam, sed solum  
discipulis suis in exemplum proferre  
uxorem Lothi, ne se mundanis de-  
nuo polluant, dicendo, μνημονεύετε τῆς  
γυναικὸς λότ. Quæ verba nec κατὰ

prītōv sive explicite nec nōtā diávorū sive  
implicite & virtute contextus eam re-  
gressā fuisse evincunt. Verum obser-  
vandum sermonem Salvatoris, eo lo-  
co, sume esse divinum, propheticum  
simul ac maxime condensatum; nam  
per diem illum, cuius mentio fit, no-  
vissimum diem patefacit, quod ex  
versu præcedente optime patet; his  
vero verbis qui fuerit in tecto. &  
suppellex ejus in domo, ne descen-  
dat ad tollendum &c. innuit ipsos,  
qui propter suum nomen pulsi ter-  
rena deseruerunt, imminentē sc: in-  
teritu non reverti debere in ea, sed  
inde fugere sibiique in memoriam  
revocare uxorem Lothi (quæ Sodo-  
mis egressa, verum commiseratione  
ac desiderio rerum humanarum in-  
urbe relictorum puncta, mandatum  
divinum respiciendo transgressa,  
peccavit tantasq; dedit pœnas) ut ejus  
exemplo sapere discant & metuant  
pœnas sibi tanto graviores fore,

fi

si actu ipso reversuri sint. Sensum  
 præterea mysticum esse, verius etiam  
 sequens docet, qui sic sonat, ὃς εἰν τῇ  
 τῆσῃ τὴν ψυχὴν αὐτῷ σῶσαι, απολέσει  
 αὐτήν, οὐκ ὃς εἰν απολέσῃ αὐτὴν ζωογο-  
 νῆσαι αὐτήν; i. e. qui animam suam querit  
 salvare, perdet illam, & qui perdit illam  
 vivificabit eam; quæ verba nec de præ-  
 senti & corporali vitâ, sed potissimum  
 de futurâ, hoc videlicet sensu, quod  
 is, qui in persecutionibus per ab-  
 negationem Domini cupit conserva-  
 re vitam suam temporalem, perditu-  
 rus erit vitam æternam, qui vero a-  
 mittit vitam suā ex fide in Christum,  
 adepturus est vitam æternam, Joh. 12.  
 v. 25. intelligenda esse, Christus ipse  
 expressius interpretatur Math. 10. v.  
 39. cum de martyriis suam ob causam  
 subeundis loquitur. Sic etiam nil ob-  
 stare potest, quin Dominus verum  
 hunc sublequentem adventui suo ad  
 judiciū applicaverit; λέγω ὑμῖν, ταύτῃ  
 τῇ θυκτὶ ἔσονται δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς, οἱ εἰς

παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἔπειρος ἀφεθήσεται i. e. dico vobis in illâ nocte duo erunt in uno lecto, unus assumetur, alter relinquetur: idque repetitur ter. Hæc autem cuncta non exacte ad Hierosolymitanum excidium quadrare, ut quidam volunt, nec Christum tanto conatu & affectu hæc temporalia urgere aut inculcare, sed ad diviniores sensus assurgere, ut & de non revertendo *eis τὰ ὄπιστα* &c. ob quæ Dominus ad uxorem Lothi digitum intendit, non tantum secundum literam; sed quam maximè sensu sublimiori de constantia in fide & pietate intelligendum esse in propatulo est, hoc est, non debere eos ad instar uxoris Lothi desiderio hujus mundi, scelestæ Sodomæ, cui semel per fidem & conversionem valedixerunt, excitari, & ad ea quæ à tergo sunt, pedem referre, atque pristinis Sodomæ lordinibus denuo immergi, sed potius omnibus ejusmodi, imo ipsâ

vitâ, si opus sit, quasi tergo averso,  
relietis, ad ea, quæ ad brabéum æ-  
ternæ vocationis pertinent Philip-  
p. v. 14. contendere, atque sic cum  
Lotho vitam servaturos, si minus,  
carn uxore ejus perituros.

## §. IV.

**C**ausâ jam aliquâ ratione explana-  
ta. Exigit methodus recepta, ut  
de materiâ, ceu in quod & quomodo  
mutata sit, verba faciam; ast, cum in  
hac re haud minus quam in demon-  
stranda causa dissentiant inter se au-  
tores Eruditi variasque foveant  
sententias, brevissimè quorundam  
opiniones recensere in animum in-  
duxì. Sunt autem quidam, ut divi  
Petri verbis utar, adeo ἀσύρικτοι οἰννες  
σρεβληστι τὰς γραφὰς, ut inficias eant  
ipsam mutatam, & asserant, ei dum  
in urbe perierit, erectam esse colum-  
nam lapideam atq; bitumine illitam,  
quod tamen falsissimum esse ex ipsis  
etiam gentilium scriptis probatum.

Non-

Nonnulli vero referunt factam esse  
monumentum bituminosum; quam  
sententiam nec firmo stare talo, li-  
cer *מַלְחָה* *bituminis* nomine aliquando  
a Judæis insigniatur, exinde constat,  
quod tali: confessim vehementis isti-  
us pluviæ sulphureæ ac igneæ nimio  
calore, aut liquefactum fuisset, aut  
conflagrasset, cum in vicinis oris  
manu DEI vindice, cui nihil diffi-  
cile, permutata sit. Plurimi faten-  
tur in statuam salis conversam, ve-  
rum quale Sal fuerit non conveniunt.  
Alii sal verum ac naturale intelligunt,  
quale est sal fossile, & ne tempesta-  
tum injuria periret, a junt columnam  
istam altas egisse radices, ac subinde  
restitutam, si quid interierit. Nec de-  
sunt, qui statuam lapideam fuisse di-  
cunt quæ salis speciem referret. Ali-  
qui statuam salis interpretantur de  
statua perpetua, nam Num: 18. v. 19  
dicitur בְּרוֹת *מלח* *pactum salis*, hoc  
est perpetuum, propter incorrupti-  
bi.

bilitatem: ubi tamen locutionem esse figuratam liquet; nam pactum cum sit actio relativa inter duos, non potest in salem converti, potest tamen sale adhibito sanciri, quemadmodum olim Sacrificia fuisse sale condita constat. Dantur etiam qui nomen salis non ad saporem referendum putant, sed quia statua aliquid habuerit notabile, quod viatores moneret, ad quod alludit August. Iuxor Loti significat eos, qui in tribulatione retro aspiciunt & se à spe divine promissionis avertunt, ideoque statua salis facta est, ut admonendo homines, ne hoc faciant, tanquam conditacor eorum, ne sine fatui.

### §. V.

**H**isce erroneis opinionibus recentis, transitum facio ad interpres afferentes uxorem Lothi in Statuam Salinam, eamque durissimam, momentanea quasi metamorphosi, mu-

mutatam fuisse. Inter quos præcipui sunt, Sedulius, sic dicens

dum respicit uxoris: (sit.

*In statuā mutata Salis stupefacta reman-*  
*R. Elieser, qui, facta est, inquit, Statua*  
*Salis, ac etiam annū hodie persistit. Lambunt*  
*cam Boves, & iterum stans super pedes ma-*  
*nē efflorescit: & Jolephus, is dicit isó-*  
*ρηκα αυτήν, ἐν γαρ οὐδὲν διαμένει. Quam*  
*opinionem & ego lubens amplector,*  
*cum optimis sustulta sit rationibus, ut*  
*infra patebit. Sufficiat heic loci addu-*  
*xisse unicum hoc dictum ex Sap: cap.*  
*10. v. 7. ἀπεργός ψυχῆς μνημονίον ἔστηνε*  
*σήλη ἀλὸς, i. e. incredula animae memoria*  
*stans columnna Salis. Quod, etsi aliis de-*  
*stituerer argumentis, satis supercīve-*  
*ritatem hujus assertionis evinceret.*  
*Observandum quoq; est, salem istum*  
*non fuisse communem, qui liquece-*  
*ret, & in aquam brevi solveretur, sed*  
*mineralem, qualis est in rupibus, qui*  
*nullo imbre liquefit, & pro laxis ad*  
*ædificandas domos idoneus.*

## §. VI.

Occurrunt adhuc plurimæ, de hac  
 statuâ sinistre judicantium, ex-  
 ceptiones, quæ, nisi aliquatenus e-  
 nodentur, Ben: Le&lt: veram hanc  
 ac genuinam sententiam valde du-  
 biam reddent. Itaque operæ pre-  
 tium me facturum existimo, si præ-  
 cipuas recensuero, & pro modu-  
 lo imbecillis ingenii exposuero. Pri-  
 mum autem hic urgent, quod pas-  
 sim in historiis mentio fiat vocis סל  
 quæ exponitur à quibusdam Lexico-  
 graphis per *Sal ac bitumen*, in quod  
 ipsam quoque mutatam esse ajunt, &  
 quod insolentius est, asserunt etiam  
 filios & Nepotes Lothi, quos postea  
 illas obtinuisse ferunt regiones, mo-  
 numentum istud publicum in me-  
 moriam defunctæ, ex bitumine ma-  
 ris Sodomitici, erexit, & id esse,  
 ad quod Dominus digitum inten-  
 dit. Hoc suum effatum probare co-  
 nan-

nantur (α) ex locis parallelis, quo-  
 rum præcipuus est 2 Sam: 18. v. 18:  
 וְאַבְשָׁלֹם לִקְחָה וַיַּצֵּב לוֹ בְּחוּ אֶת מִצְבָּת  
*Et Absalon sumpsit atque erexit, cum  
 adhuc vibraret, sibi statuam* &c.  
 וַיִּקְרָא לִמְצָבָת עַל שָׂטוֹ וַיֹּקַרְא לְהָדָר  
 אַבְשָׁלֹם עַד הַזָּמָן הַזֶּה: *Et vocavit sta-  
 tuam nomine suo, & appellatur manus  
 Absalon usque ad hanc diem: qui ta-  
 men nervum non incidit; nam ma-  
 gna est discrepantia inter phrases  
 istas quod sc: Absalonis statua dicta  
 fuit manus Absalonis aut Absalon, &  
 quod manus Absalonis, aut ipse Ab-  
 salon factus sit statua, prius verū est,  
 & in scriptura usitatum, non autem  
 posterius. (β) Quia verbum יהוה non  
 semper denotat mutationem uni-  
 us in alterum, sed frequentissimè u-  
 num fieri ex alio, dum unum succe-  
 dit alteri, vel in locum, vel in memo-  
 riam, vel comparativè in similem te-  
 rè naturam aut conditionem abit,  
 ut liquet ex mente eorum e Na-  
 ba-*

bale 1 Sam: 25. v. 37. qui cum ex uxore Abigail audivisset delictum priori die in Davidem commissum, adeo obstupuisse dicitur, ut cor ejus mortuum fuerit וְהוּא חִיָּה לְאַבָּו fieretq; lapis. Qui tamen locus nostram assertionem non destruit, cum præfixum ל sit ibi adverbium similitudinis, & denotet sicut, quasi, unde versiones accuratiores habent, adeo ut esset ille quasi lapis (γ) Cum נציב & מצבה per plurimorum suffragio sint Synonyma, ajunt illud ordinariè notare monumentum, vel in memoriam defunctorum, vel singularis alicujus fati à posteris ereatum, aut statuam arte manuq; factam humanâ. Ego quidem non diffiteor, נציב quibusdam in locis eam obtinere significationem, inde tamen non sequitur in rebus miraculosis ejusdem esse valoris, nec ab alicubi ad ubiq; valet consequentia. (δ) Siquidem Πλῆν vocetur bitumen à Jūdæis, à Græcis ασφαλτόν, &

& exinde locus Mare bituminosum,  
quod sic describit Plinius, ἀσφαλτίς  
nibil præter bitumen gignit, unde illi no-  
men adhæsit. Nullum corpus animalium  
recipit, Tauri cameliq; fluitant, inde fama  
nihil in eo mergi: affirmant ab eo bitu-  
mine postea exstructum esse monu-  
mentum bituminosum, ut atro suo  
colore & sulphureo odore testaretur  
de genere mortis, quo obiit fœmi-  
na. Necego inficias eo verbum ηλψι  
nonnunquam apud Judæos interpre-  
tes bituminis nomine venire & præ-  
cipue bituminis Sodomitici, non ta-  
men exinde necessario sequitur ex  
bitumine isto erectum, nec in Textu  
Mosaico idem notare, cum sit ma-  
nu DEI vindice formatum, ad di-  
vinam maximè justitiam declaran-  
dam sequentibus generationibus.  
Quapropter latius esse autumo, ut  
pia veneratione agnoscant manum  
divinam, quæ uno quasi momento  
& iectu oculi, hanc incredulam fœ-  
mi-

minam in durissimam Salis compaginem convertit, in judicij divini & forme, ut Tertulianus loquitur *testimonium*, & non eam, quam orbis haec tenus ceu frænum malitiæ suspexit, in opus manus humanæ transforment, nec dicant statuam hanc, quam ipsa Numinis manus vindex futuris Seculis in monumentum justitiæ & præconem pœnitentiæ posuit, & quam orbis haec tenus talem esse credidit, nihil esse nisi columnam aliquam, ex bitumine in memoriam uxoris Lothi & eorum, quæ circa eam contigerunt, arte humana exstructam.

### §. VII.

**H**isce, pro ratione instituti, consideratis, pergendum ad secundā eorum exceptionem, quā ulterius nostrā infringere cupiunt sententiam; ogganiunt scilicet (a) monumentum istud non esse erectū in isto momento, sed anno postea secundo, aut seculo, eo, quod

quod post descriptā conflagrationem  
urbium & regionis universæ uxorem  
Lothi respexisse memoret. (β) Rege-  
runt nec obesse, quod Moses statim  
mentionem faciat statuæ, dum de in-  
cendio egit; quippe non eundem ne-  
xum esse posse temporis, qui verborū;  
licet in discriptione statim à scripto-  
re subjungatur, quod longè post con-  
tigit; unde quoque probationis loco  
adhibent; parallelismos quosdam,  
Gen. 9. v. 20. וְחַל נָח אִישׁ הַרְמָח וַיֵּשֶׁת מִן הַיּוֹם  
וַיַּמַּעַד כָּרֶם: וַיֵּשֶׁת מִן הַיּוֹם Noachus au-  
tem cœpit esse vir terram colens & plan-  
tavit vineam & biber ex vino; quod  
equidem manifestissimum esse, non  
uno & eodem die, quo plantavit vi-  
tem, ex fructu ejus bibisse, haud  
latet; Gen: cap. 21.v. 2. וְתָהָר וְתָלַד שָׂרָה  
Sara concepit & peperit, quod nec uno  
& eodem die factum tuisse quoti-  
diana docet experientia, atque sic  
per consequens, eadem quæ Moses  
en refert loco, non uno & eodem

mo.

momento peracta esse. Ex hisce inextricabilis oritur fermè Labyrinthus; occurunt enim mihi hæc paulo altiori mentis indagine perpendenti, jam pro affirmativâ jam pro negativâ stantes sententia, jam judicium perpolitum occultantes. Haud tamen temere me facturum arbitror, si in eorum descendero castra, qui hanc interpretationem suo stare tallo inficiantur; cum nullibi neque in sacrâ neque in profâna fide digna historia deprehendam, discrimen esse factum inter id tempus, quo respexit, & mutata est, sed divinum scriptorem individuo quasi nexu dicere; *Et respexit mulier & facta est statua Salis;* Reliquis vero mihi occurrere tali licet ratiocinio, quod sc. ea, quæ Moses, cum de incendio egit, uno nexu & sermonis contextu conjunxit, ab aliis non erunt separanda, juxta hunc interpretandi Canonem: *Quæ facta eodem ser-*

sermonis tractu, quin una periodo re-  
censentur, & sibi invicem conjunguntur,  
ea & re ipsa inter se tempore sunt con-  
juncta: Magna equidem cura pro-  
vidit supremum Numen, ne diffor-  
mitas esset inter res & verba, sed  
ut ea, quæ distincta sunt, distin-  
ctè etiam enuncientur, & quæ con-  
juncta conjunctim. Quamobrem  
nec ulla ratio inveniri potest, ob  
quam, quæ tempore notabili inter  
se sunt divisa, in unam & eandem  
periodum atque sermonis texturam,  
contra universales loquendi atque  
scribendi leges cogeret divinus scri-  
pтор. Ideoque inhærendum tamdiu  
principio posito, donec urgens ac  
evidens ratio ab eodem recedere  
jubeat, quæ tamen nusquam pro-  
duci potest ex Sac: Scriptura, neque  
ex alia fide digna historia demon-  
strari, ut ea, quæ integris seculis à  
se invicem distant, quemadmodum  
de hac re adversarii contendunt,

uni & eidem periodo, ne levissimo quidem indicio addito diversa subesse tempora, includantur. Adducta vero loca parallela quod attinet, non è re erat, ut Moses in re manifestissima asteriscum quendam adhiberet, qui moneret literæ aut texturæ sermonis non inhærendum; enimvero similis evidentia, quæ urget temporis istiusmodi differentiam statuere in Textu non appareat; & propterea ē locis non usque adeo parallelis non negatur argumentum firmum; in quibus tamen locis ab Aben Ezra adductis, nec deest nexus uti verborum ita rerum & temporis, sed eadem omnino conjuncta esse uti re ita tempore. Præterea ex hisce etiam certum evadit, priscam interpretationem suo stare talo, quod scilicet consentiat ( $\alpha$ ) Textui, ( $\beta$ ) Contextui, & rei gestæ quæ recensetur; ( $\gamma$ ) Phrasologicæ Sacræ, ( $\delta$ ) Historiæ & traditioni cum Judaicæ, tum Christianæ,

nec

nec non profanæ, (ε) Divinæ justiciæ  
& potentiæ, (ζ) dignitati Scriptoris  
Geoπνεύς, (η) ædificationi in pietate  
(θ) non contradicat ulli Scripturæ lo-  
co, nec (ι) ipsi rationi.

## CAPUT TERTIUM.

### §. I.

**Q**uandoquidem jam manifestum  
sit, incredulam hanc mulierem  
in statuam transformatam sa-  
linam, consultum existimo formæ  
quoq̄ mentionē facere, sive qualem  
formam in subitanea ista metamor-  
phosi nacta sit; verum, cum Sacra  
hac de re taceat Scriptura, & divini  
scriptoris lingua, in cujus præcipue  
scriptis hæc historia suam habet se-  
dem, durum mihi videtur atque ar-  
duum aliquid certi de hac enuncia-  
re, interim tamen, cum hanc susce-  
perim ventilandam, non rejiciendas  
autumo traditiones antiquas pri-  
scorum temporum atque vetustissi-  
mo-

morum Scriptorum, ex quibus abunde colligere licet fœminam in prodigiosa istâ atque momentaneâ mutatione pristinam retinuisse formam, inter quas potissima est Tertulliani, qui carmine quodam comprehendit totam istam historiam, inque ea de formâ ejus hunc in modum verba facit:

*Hic aliter versæ mærent miracula formæ;*

*Namque comes conjunx, heu me male  
tum quoq; legis*

*Fœmina non patiens divina ad mur-  
mura cali*

*Audaces oculos nec quidquā sola retorsit.*

*Nec habitura loqui, quod viderit & si-  
mul illuc*

*In fragilem mutata falem, stetit ipsa  
sepulchrum*

*Ipsaque imago sibi formam sine corpore  
servans.*

*Durat abhuc etenim nudâ statione sub  
ethrâ*

*Nec pluviis dilapsa situ nec diruta ventis  
Quin*

Quin etiam si quis mutilaverit advenam  
formam,

Protinus ex sese suggestu vulnera  
complet

Dicitur & vivens aliojam corpore sexus  
Munificos solito dispungere sanguine  
menses.

Deinde Jrænei alludentis, Iuxor Lothi  
remansit in Sodomis jam non caro cor-  
ruptibilis, sed statua Salis semper manens  
& per naturalia ea quæ sunt consuetudi-  
nis hominis ostendens.

## §. II.

**A**d ordinem Methodi expenden-  
dum venit dictum Judæ sc: v.7.  
ὡς Σόδομα καὶ Γόμορρα, καὶ αἱ περὶ αὐτὰς  
πόλεις τὸν ὄμοιον τύποις τρόπον ἐκπορνεύσα-  
σαι καὶ ἀπελθόσαι ὅπίσω σαρκὸς ἕπεις,  
πρόκειται δεῖγμα, πυρὸς αἰωνίᾳ διηγή ὑπि-  
χώσαι: i.e. sicut Sodoma & Gomorra, &  
similicivitates modo exfornicatae, &  
abeuentes post carnem alteram, factæ sunt  
exemplū, ignis æterni pœnam sustinentes:

Ex

Ex quo consequi videtur, omnes illius regionis incolas, pariter cum infantibus, qui erant natura filii iræ, in gehennam detrusos fuisse, ibique in æternum puniendos, non vero per ignem & sulphureum istum cœlitus demissum, quo non modo homines fuerunt incensi, verum etiam planities, urbes, pagi, nemora, &c. ignem æternum intelligendum esse, cum fuerit materia corporea, qua etiam corpora in pulverem fuerunt redacta, quæ tamen extremo judicio resurrectura in dubium haud revocamus, & sic eo castigatos. Salutem vero eorum quod attinet; Theologorum est non autem nostrum de ea ulterius disquirere; atque sic huic opusculo supremam manum imponens, cunctis mortalibus lapsum uxoris Lothi dijudicandum relinquo, ut eo facilius, memores ejus, summi Numinis præceptis adhærere discant, nec non por-

ten-

tentosa mulieris metamorphosi cognitâ, à rebus abhorrere terennis.  
 Abs te interim Ben: Lector obnixe contendō, velis juveniles has primicias æqui bonique consulere, & non, ut malignorum mos est, malevolo capere dente.

## DEO TRIUNI GLORIA.

---

### CORONIDIS

loco addere lubet illa quæ Emanuel Thesaurus in genealogia Patrum habet de Uxore Lothi, cum eam optime depingant.

Quam stupes muliebrem statuam,  
 tanto artificio fictam,  
 Artifice caruit.

Genita fuit & sine scalpello sculpta,  
 Et quod impensis mirere,  
 olim spirabilis & locuta.

Brevi: fæmina fuit.

Dicerem: est,  
 nisi prodigium videretur,  
 fæminam esse & tacere.

Gor.

Gorgonium vidisse illam putas?  
Aut Ciconum fontem bibisse?  
Erras: se ipsa fixit.

Nam contra divinum præscriptum,  
Dum patriam spectat, se amisit.  
Sola igitur mortalium, nec imaginis e-  
gens, nec sepulcri.

ipsa suæ stupiditatis imago  
in semita hæret,

Et in sua statua tumulatur.

Licet igitur intra metamorpho-  
ses numeretur:

Fœminam ex vera fictam.

Imo, nunc veram quia fictam.

Nam quid in fœminis videoas nisi fictum?

Itaque mentiri solita, se ipsam mentitur  
Mortua vivam simulat, vel viva mortuam.  
magis mirere,

Quod insulsa saltum migravit in lapidem;

In sale mortua, quo viva carebat.

Sic solent fœminæ: sapiunt cum pereunt.

Ac fuge hunc salēm, si sapis, ratiōnē.

Hugne-Lind

Sfversändt

Då

Ehreborne och Stickelige

Herr JOHAN WALL-  
STENIUS,

Sin i dagzliuset framgisne  
Lårdoms första Afwel

Om

Salt = Stoden/  
Berömligen försvara tåckt.  
Af en på Resan stadde.

**G**ambla Ören lår en ung rått  
Oktet våga.  
I Mödrars skoor gemeent och  
Döttrar tråda plåga/  
Så haa the Gambla sage : så os till min-  
nes lage/  
Vii Unga märesia ghet ; ny thet är rått-  
lig sage.

Hur'

Hur kan en Dygdig Moor/ af Dygd up-  
ammad Mamma/

See Dottren Odhygdz-midlek? Ney/ men  
med Dygd upamta:

Hur kan een Last-wārd Moor/ anfōra  
en til Dygd?

Ney/ hon beteer sig förr at the så bāda  
blygd.

Hvar Dygden har siet boo/ man Odhygd ther  
en hyscer;

Hvar Odhygd gerna groor/ ther Dygde-Sol  
en hyscer.

Then Moor sin syslor nätt/ Sudsfruchtan/  
tuchan lärde/

Wist lär Hon Fostret sitt/ at thet är åhra  
wärde/

Hvij skull tå en Faar? Faar som af Son  
will weca;

Sin Son så tucha op/ at han thes Faar  
will hetta?

Hvij skull tå ey en Son? som Faars Son  
hetta will;

Sin Faars spär effergå? som rätte Son hō-  
rer till.

Om Handiwerck Fadren närdé; en Sonen  
gårna plöijer:

Om

Om Fadren låsa lärde / sin Son han eist och  
böljer.

Sii! här har man en Faar/ hvem Wall och  
Steen gaf namn;  
Som genom Steen = hård Swall / har gårde i  
Steen = hwäld hamn.

På Pindi branta bårg/ med flit / med svett han  
klifvit,  
Förn bland then Lärde tråpp/ hans namn blef  
rätt inskrifvit.

Sij! här har man en Son/ som namn af Faar  
sin caar;

Ta namn at Nåde-Rijk Faar han i Him-  
len haar:

En Son som Barna-åhr / kan Manna-  
foster föda:

Ett Barn som drifwa tors then saak/ mång Man  
giordt mōda.

En sådan Faar/ sin Son hwad lärde är  
låra för.

En sådan Son sin Faar närm dödt odd-  
lig gör.

Far fore o Musers Pilt! Dhe skola sig wäl  
löna!

Jag spår: innom såå åhr/ med Lager-Cranhar  
Eröna.

Nu magra rümen min iag sluta skall ; w  
gnäll

Starek wind i seglen sin. Eef såll till sidsta  
qwäll !

Hast förear all Djurligheet /  
Men ej en hiertans Willigheet /  
Som syter af Dienstschlighet /  
Hugnas af Er Glürigheet.

CHRISTIERN. G. BORGERUS,  
Nor - Finl.

